

mas diis gratias agere atque habere, quod, quum Siciliam recreare constituerint, tum se potissimum ducem esse voluerint. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine agi putabat.

3. Quidquid boni egeris, in deos refer: inquietabat Bias.

M. Antoninus, in libro de vita sua, agit gratias diis verbis multis, quod dederint sibi saepius monita et adumenta ad instituendam vitam sapienter; quod eripuerint se, et juvenem, et senem, ab occasionibus multis peccandi; quod concesserint bonos parentes, praeceptores, amicos.

Quum divitiae soleant afferre hominibus aut amorem voluptatis, aut animi superbiam: opus est homini auxilio divino, ut modestiam colat.

Multos et nostra civitas, et Graecia, tulit singulares viros, quorum neminem, nisi juvante deo, talem fuisse credendum est. — Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflato divino unquam fuit.

Quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia: unde haec in terras, nisi a superis defluere potuerunt?

4. Priscorum in inveniendo cura, in tradendo benignitas, est donum deorum. — Quod si quis illa forte ab homine excogitari potuisse credit, ingrate deorum munera intelligit.

Neque enim nostra ista, quae invenimus, dixeris. — Insita sunt nobis omnium aetatum, omniumque artium semina, magisterque ex occulto deus producit ingenia.